

25
6.

BIBLIOTECA
DE LA
Universidad de Salamanca.
Est. Caj. Núm.

1822

ORATIO

HABITA

AD ACADEMIAM

SALMANTICENSEM,

DIE STUDIORUM INAUGURATIONI SACRO,

A. D. MDCCLXXXIV.

DOCT. D. NICASIO PEREZ ET VIME,

REG. SAC. THEOLOGIAE,

ET ELOQUENTIAE PROFESSORE,

ET ACADEMIAE LATINAE MATRITENSI

HONORE SOCIETATIS ASCITO.



SALMANTICAE:

APUD JOANN. VALLEGERA, TYPOGRAPH. UNIVERSITAT.
Ann. Dñi. MDCCCLXXXIV.

b1665211

ORATIO

HABITA

AD ACADEMIAM

Ad docendum parum, ad impellendum satis.

DIE STUDIORUM INAUGURATIONI SACRO

Cic. de nat. Deor.

DOCT. D. NIGASIO PEREZ ET VIRE

REG. SAC. THEOLOGICAE

ET ELOQUENTIAE PROFESSORE

ET ACADEMIAE LATINAE MATRITENSIS

HONORE SOCIETATIS ASCITO



SALAMANICAE

ATQVE IOHANN. VALLEJERO, TYPOGRAPHO UNIVERSITATIS

ANNO DNI MDCCLXXIV

Cum nihil sit in rebus humanis, quod hominum vitio, temporisve injuria non fiat in dies deterius, nisi assidua cura naturae vim quamdam afferat; et quantum temporis diuturnitate detractum iri videtur, tantum quotidianus labor adjungat; haud gloriae ex muneris nostri officio, vel laudis quidquam nobis expectandum, ornatissimi Doctores; si totam Hispanici Imperii rem litterariam incitatissimo rerum humanarum cursu prope ad interitum rapi prospicientes, ibi brachia contendere non ad-

nitamur, ubi cursum istum incitatio-
riorem esse animadvertimus. Quin
potius execrabili ad posteros memo-
ria transferenda forent et nominis,
et male acti magisterii nostri dede-
cora.

Quamobrem in hac solempni Stu-
diorum inauguratione quasi divini-
tus mihi in mentem venisse credi-
derim, quid à nobis jure reposeat
instituti nostri ratio, ut suus perpe-
tuo stet honos Academiae, decusque
praeclarum, perbrevis oratione per-
sequi.

Et quia recentiori, saluberrima-
que lege cautum, sanctumque est

à FERDINANDO Rege piissimo
quidquid ad rectam Studiorum ins-
titutionem, sanctissimamque morum
informationem sublimiōris Sapientiae
consilio, et qua in subditam sibi
gentem paterna tenetur charitate,
opere pretium esse duxit; immorta-
tales D. O. M. gratias rependimus,
amplissimasque optimo Principi de-
beri, aeternum praedicabimus.
Et auspicate superni Numinis
auxilio, eam à vobis veniam effla-
gitare non erubescimus, quam ex-
temporali orationi humanitatem ves-
tram facile indulturam existimamus.

Et si ad eos qui Reipublicae praesunt totam instituendae Juventutis curam referri debere Litteratorum nonnulli depraedicant, perpetuaque in ipsos debacchantur maledicentia, quod, ut existimant, nihil industriae attulerint ad artes perficiendas, ad scientias augendas, discendasque, nihil pro moribus populi disciplina formandis, et perpoliendis excogitarint; nullam ingeniorum, studiorumque publicam censuram sanxerint; atque hinc tot mala in populum; tot in adolescentium animos vitia irrep-

(VII)

sisse declamitant; et continuo ad Egiptios, ad Spartanos, ad Athenienses nos provocant, quidquid ab antiquis hisce Nationibus inventum est pro juventute erudienda summis laudibus usque ad miraculum efferentes; haud in eorum adducimur sententiam, qui rentur exitialem cladem, qua cum Hispano Populo concussa res litterarum publica è florentissimo statu corruere visa est, ab hacce scaturigine promanasse.

Nam quotusquisque est, qui nesciat in ea nos difficillima, luctuosaque incidisse tempora, quibus impetitam undique crudelissimo bello

(VIII)

Religionem cernimus? Et ubi Religio in discrimen adducitur, qui fieri potest, ut sua Principi Jura, Majestasque, sua legibus auctoritas, sua moribus integritas, suis artibus honos, suum denique scientiis, disciplinis, litterisque omnibus consistere decus valeant? Norunt haec Sapientes omnes vel ab omni retro antiquitate experientia docti, vel recentioris calamitatis acti, agitatique infando moerore.

Jam haec causa eadem est, saltem mea sententia, qua nos omnes per-moti studia, conatusque nostros Religionem impendere debemus.

Cur Matris sanctissimae decus à probis, sapientissimisque filiis vindicandum non erit? Cur non coarguenda, et retundenda petulans eam dedecorantium audacia? Cur lumen praesidiumque non afferendum infirmis iis praesertim ingeniis, quae aliorum fraude, vel impietatis errore victa jamjam ruitura videntur?

Non haec à nobis officia jure repositi instituti nostri ratio? Non haec expectant à nobis tot parentum pietas, tot ad nos undique confluentium juvenum multitudo, et quidem ab ipsamet domestica institutione haud rectis morum principiis praeventa?

Hoc exigit profecto à nobis munus, opusque Sapientiae, ut inquit Tullius.*” Nam qualem hominem natura inchoavit? Quod est munus, quod opus Sapientiae? Quid est quod ab ea absolvi, et perfici debeat? Si nihil in eo quidem perficiendum est, praeter motum ingenii quemdam, id est rationem, necesse est huic ultimam esse ex virtute vitam fingere.”

Hoc expectat imperatque praestantissimi Regis potestas, cujus omnium virtutum haec summa est, ut

* De Finib. l. iv. n. 13.

(XI)

sanctitate Religionis, morum, scientiarumque amplissimo cultu populi salutem prosequatur, et beatitatem. Sed et Academia ipsamet cui nihil antiquius, quam Religionem sartam tectam custodire, multiplici arte utitur ut absolutam et perfectam undique Doctoris christiani formam in Magistris omnibus effingat, ut et ipsi discipulorum animos ad sanctioris pietatis imaginem conformare ne utquam desistant.

Namque in hunc finem omnia conspirant in Academia. Ad hoc referri debent munia, officia, dignitas, privilegia, queis insignitum, fultum-

que voluere piissimi Hispaniarum Reges, et summi Religionis Antistites virum ex sacro ordine spectatissimum cui totius rei scholasticae cura demandata est: unde nomen etiam sortitur praeclarum SCHOLASTICI SALMANTINI.

Ad hoc assidua Judicis studiorum vigilantia, qui Regia pariter stipatus auctoritate, eadem tenetur adimplere munia, quibus ex praeclara Imperatorum Valentiniani, Valentis, et Gratiani constitutione * in juvenes studiosos animadvertibat Magister

* Lib. I. Cod. Theod. de Stud. liberal. urbis Romae, et Constantinopolis.

(XIII)

census, coeterique censuales, ne mali mores protrudantur in Academiam, et in Rempublicam. Huc etiam referenda paterna censura ex sapienti Academiae consultatione novissime à Principe praestantissimo sancita.

Et denique quae statis diebus Doctores cuncti ad Deum precibus promerendum persolvunt officia pietatis, et quae ad peccata expiatione sacra eluenda cuilibet Studentium coetui academica lege injuncta sunt, et nec turbulentiori tempestate fuere desiderata, nonne ad Religionis sanctitatem, morumque puritatem colen-

(XIV)

dam nos omnes sollicitant, impel-
luntque?

Sed ubinam gentium sumus?

Quosnamve Magistros alloquimur?

In Salmanticensi Academia? Ad

Doctores Salmanticenses?

At ubi, quos inter homines pu-
rior Religio colitur? Ubi disciplina
morum severior? Ubi litterarum cul-
tus politior? Ubi legum inviolabilior
custodia?

Hic, quovis tempore integra pers-
titit, qua tenemur sacramenti fides
Principem erga, et Religionem. Hic,
inter sacros homines Theologia non
fictis imaginibus contemplanda obji-

aitur, sed ut è coelo delapsa honoratur. Hic, Ecclesiae Disciplina à Juris ecclesiastici Doctoribus immaculata custoditur, et absque labe ulla docetur. Hic moratur suavissime apud Jureconsultos nostros, quae pene omnes hispanicas terras aufugerat quondam Astrea. Hic denique, scientiae omnes et disciplinae amico foedere pietatis vinctae nihil studiosis juvenibus offerunt addiscendum, praeter quod ipsos ad urbanioris humanitatis, immo ad coelestis Religionis imaginem valet potissimum effingendos.


Quae quidem omnia ita velim à

(XVI)

vobis accipi, Doctores ornatissimi,
ut numquam de Religione, de Rege,
de Civibus, de Juventute ipsa non
bene mereri contingat: ita à nobis
omnibus accepta retineri, ”ut bene-
”volos Academiae objurgatores, ut
”inquit Tullius, * placare, et invidos
”vituperatores confutare possimus,
”ut alteros reprehendisse poeniteat,
”alteri didicisse se gaudeant.”

DIXI.

* De nat. Deor. lib. i. n. 3.



1022, 25
+ 26.

86.346